

Esdre. II.

325

raui in deo vt non darent filias suas filiis eorum. et non acciperent de filiabus eorum filias suas et sibi metipsis dicens: Nunquid non in huiusmodi re peccauit salomon rex israel? Et certe in gentibus multis non erat rex similis ei. et dilectus deo suo erat. et posuit eum deus regem super omnes israel. Et ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenae. Nunquid et nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc. vt priuaticemur in deo nostro et ducamus uxores peregrinas? De filiis autem ioia da filij eliasib sacerdotis magni. generat erat sanaballath horonitis quem fugauit a me. Recordare domine deus meus aduersum eos qui polluunt sacerdotium usque sacerdotale et leuiticum. Igitur mandauit eos ab omnibus alienigenis et constituit ordines sacerdotum et leuitarum vnumqueque in ministerio suo et in oblatione lignorum in temporibus constitutionis et in primitiis. Memento mei deus meus in bonum. Amen.

Explicit liber Nemeie. Incipit liber Esdre secundus.

Capitulum. I.

Fecit iosias pascha in hierosolymis domo et imolauit phase quarta decima luna primi mensis: statuens sacerdotibus per vices dierum stolis amictos in templo domini. Et dixit leuitis sacris servis israel: vt sanctificaret se domino in positione sancte arce domini in domo quam edificauit salomon filius dauid rex. Non erit vobis tollere super humeros eam. Et nunc deseruite domino vestro. et curam agite genti illius israel ex parte secundum pagos et tabulas vestras. secundum scripturam dauid regis israel. et secundum magni

scientiam salomonis filij eius: omnes in templo. et secundum particulam principatus partem vestram eorum qui stant in conspectu fratrum filiorum israel. Immo habete pascha. et sacrificia parate fratribus vestris. et facite secundum preceptum domini quod datum est moysi. Et donauit iosias in plebem que inuenta est. ouium. agnorum et hedorum. et caprarum. triginta milia: vitulos tria milia. Nec de regalibus data sunt secundum promissionem populo. et sacerdotibus in pascha: oues numero duo milia: ac vituli centum. Et iechonias et lemeias et nathanabel fratres. et alabias et oziel. et coraba in phase. oues quingentis milia. vitulos quingentos. Et hec cum fierent eleganter: steterunt sacerdotes et leuite habentes azyma per tribus. Et secundum partes principatus patrum in conspectu populi offerebant domino. et ea que in libro moysi scripta sunt. Et assauerunt phase ligni. prout oportebat: et hostias coxerunt in emolis et in ollis cum beniuolentia. Et attulerunt omnibus qui erant ex plebe. et post hec parauerunt sibi et sacerdotibus. Sacerdotes enim offerebant adipem vsque dum finita esset hora. et leuite parauerunt sibi et fratribus suis filiis aaron. Et sacrificatores filij asapherant per ordinem. secundum preceptum dauid. Et asaph et zacharias et ieddimus qui erat a rege. et ostiarii per singulas ianuas ita vt non preuaricaretur vnusquisque suam. Statres enim illorum parauerunt illis. Et consummata sunt que pertinebant ad sacrificium domini. In illa die egerunt phase. et offerebant hostias super domini sacrificium. secundum preceptum regis iosie. Et egerunt filij israel qui inuenti sunt in tempore illo phase. et diem festi azymorum per dies septem. Et non est celebratum phase tale in israel a temporibus samuel prophete. et omnes reges israel non celebrauerunt tale pascha qualem egit iosias et sacerdotes et leuite et indei

F F